

simo nodum, ut dicitur, in scirpo quaerens.<sup>24</sup> Vt tamen et quam intempestiua, minimeque necessaria sit commonefactio tua atque ieiunae etiam calumniae maleuolentia, demonstretur legentibus de verbo et sententia paucis tecum disseremus, ut hoc modo aliena, an orthodoxa sit interpretatio ea, quam inuadit charta tua, patefiat. Atque primum hoc testamur ad te et omnes, qui haec legent, nos nulla alia de causa quam quod in mentem haec veniret et non altera hac paraphrastica interpretatione vsos fuisse neque hac offendere quenquam aut quicquam callide agere voluisse sicut et cum ijs verbis nihil tale fieri potest. Atque ita in catechesi res tota proponitur et exponitur, ut offendere pium et bonum neminem ea verba possint, id, quod legentibus iudicandum permittimus. Quod si suspicari de tuis tuique similibus suspicionibus talibus potuissemus omnino studuissemus eas auertere usurpatione eius interpretationis, quae tibi et tuis magis fuisset obuia, ne quid esset, quo quisquam offenderetur, cum quam simus in hac parte diligentes, vt pacem colamus cum omnibus, quantum veritas sinit, te minime lateat, qua de caussa et quas iniurias a te et alijs tacentes pertulerimus et hodie etiam feramus, similiter te testem laudare possumus.

Sed ad grammaticam te reuocabimus, quam si non dedignaris, primum hoc negare<sup>c</sup> non potes, quidquid dicat aut moliatur charta tua, haec verba: [B 1r:]  
 20 ὄν δέῃ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι vtramque sententiam complecti ἀμφιβολοῦς.  
 Id quod et charta tua metuere videtur, sicut et latinae versiones tuae omnes ambiguitatem eandem habent, vt quantum in verbis est, liceat δέξασθαι referre ad vtrumque, οὐρανὸν et Χριστὸν et Christus οὐρανὸν et οὐρανὸς Christum debeat δέξασθαι. De verbo autem δέξασθαι, an significationem et vsum  
 25 huius, quantum ad praesentem locum opus est, intelligamus etiam de hoc <sup>d</sup>te ne<sup>d</sup> pigeat cognoscere, quid didicerimus, vt iudicare possis. Omnino igitur tibi concedimus, hoc verbum ἐνεργητικῶς significare etiam παθητικῶς prolatum, et docent diserte grammatici haec quatuor verba, δέχομαι, θεῶμαι, λυτροῦμαι, ῥύομαι in passiuam diathesin per omnia tempora significare ἐνεργητικῶς praeterquam in aoristis ἐδέχθη, ἐθέαθη, ἐλυτρώθη, ἐρρύσθη. Ita igitur in media multo magis actiue significant et est δεξάμενος ὁ λαβὼν etiam Herodoto (etsi λαβεῖν et δέχεσθαι, quomodo discriminant grammatici, non ignoramus) et δέχου τὸν ἄνδρα καὶ χώρα ἢ μὲν ἐδέξατο. Significat autem et accipere et occupare aliquid accipiendo, quod cum fit, id, quod occupat, capi  
 35 etiam ab eo, quod occupat et quo excipitur oportet, vt cum dicitur διάκενα ἀγγεῖα posse δεξασθαί τε, vascula inania posse capere aliquid, quo repleantur atque occupentur. Ita venarum vasa in corpore, <sup>e</sup>quae sunt φλέβες,<sup>e</sup> δεξά-

<sup>c</sup> negari: A.

<sup>d-d</sup> ne te: A.

<sup>e-e</sup> Nicht in A.

<sup>24</sup> Sprichwörtlich: „quaerere in scirpo nodum“, vgl. z.B. Plautus, Menaechmi 247; Titus Maccius Plautus, Komödien, hg. v. Alfred Klotz, München 1948 (Sammlung Tusculum), 34.